



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.28. Ecclesiæ in Saxonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

procedens Pontificem deduxit Cadur- Sæculum IX.
cum, & inde, Festo Nativitatis celebra- A. C. 804.
to, Aquisgranum. Octiduo in mutua
conversatione absumpto Imperator do-
nis cumulatum dimisit, & quia viam in
Italiam per Bavariam elegerat, Raven-
nam usque redeuntem deduci jussit. Cau-
sam hujus secundi itineris Papæ in Fran-
ciam ignoramus quidem, sed conjectu-
ra est, periculum Territorii Veneti pro-
fiscendi occasionem præbuisse, cui Pro-
vinciae subjugandæ Græci inhiabant, &
præterea Patriarchæ Gradensi Impera-
toris præsidium parare Pontificem vo-
luisse.

§. XXVIII.

Ecclesiæ in Saxonia.

Tandem hoc anno Carolus bello Saxo- *Eginh. vit.*
nico, quod annis plus triginta gere- *Car. in ann.*
batur, finem imposuit. Omnibus, qui
repugnare solebant, subjectis, ut non es-
sent, qui deficere possent, decem millia
Saxonum ultra Albim habitantium cum
uxoribus & liberis translata in diversa
Galliae & Germaniæ oppida invexit. In
Saxonia vero remanentibus pacis condi-
tiones posuit; ut abjecta Idololatria Re-
ligionem Christianam amplecterentur,
& Francis juncti populum unum effice-
rent. Ut eo facilius ad conversionem
moverentur, Rex multis in illa Regione

Ss 3 fun-

Sæculum IX. fundatis Ecclesiis, datos sibi obsides, aut
 A. C. 804. diurno bello captos in Monasteria Fran-
 ciæ mittebat. Aliquos jam superius
 memini fundatos in Saxonia Episcopatus,
 nempe Verdensem, & Mindensem anno
 786. Bremensem anno 787. Osnabru-
 gensem anno 788. Paderbornensem an-
 no 795. nunc agendum est de Monaste-
 riensi, cui S. Ludgerus anno octingente-
 simo secundo primus Episcopus præ-
 stus est.

§. XXIX.

S. Ludgerus Monasteriensis.

Sup. Lib.
XLIV. §. 19 **S**anctus Ludgerus a Carolo Rege anno
 septingentesimo octogesimo septimo
 Frisonibus Orientalibus fidem prædicare
 jussus, ferventi zelo pio operi insudavit.
 Cum filium alicujus ex Principibus eo-
 rum nomine Landrycum e Sacro fonte
 levasset, sacris litteris imbutum, postea
 Presbyterum ordinavit, qui deinde lon-
 go tempore Scholæ Frisonum præfuit.
 S. Ludgero apud Friones prædicanti,
 cum in quendam vicum advenisset, ob-
 latus est homo cœcus nomine Bernele-
 fus totius viciniæ accolis ideo carissimus,
 quod antiqua carmina, in quibus vete-
 rum Regum Victoriae & facta memorabi-
 lia referebantur, hilariter recitaret. Hæ
 enim cantiones Germanis pro scripta hi-
 storia erant, quæ hactenus in memoria
 homi.

Boll. 26.
Mart. vit.
per. Altfr.
n. 19. to. 5.
Act. Ben. p.
25. Altfr.
lib. II.

Tac. Germ.
init.